

exprimi. Hinc prædicantur, καὶ ἡμέραν προσκαρτερῶντες, *quotidiè perseverantes*, panem domatim (quòd ædes privatae, tum temporis loca eorum publica essent) frangendo. *Act. 2: 42. 46.* Non mortis metu exterriti: nondum enim furor hostium in eos grassabatur. Non fulmine Canonum Conciliarium compulsi: neque sola consuetudine ducti, sed præcepti quod Magister dederat, recenti memoriâ; & dapum celestium fame inducti, ut hæcenus quidem & libera fuerit illa actio, quia Tempori nulli alligata: & *occasionalis*; ex conventibus ad audiendam concionem, aliasque Christiani cultûs partes exercendas habitis nata. Frangebant panem, quoties Apostoli docuere, & cœtus communibus precibus defunctus. Unde porrò *varia* fuit. Ex *Act. 20: 7.* verosimiliter conficitur, diem Dominicam ei rei fuisse ordinariè adhibitam. Quod si diebus, qui profesti (Tertulliano, *Vulgati*) dicuntur, convenire contingeret, ne illis quidem hæc partes negligebantur. Ut Paulus haud immeritò dixerit, ὅσκις *quoties*. Neque hic eos deserere possumus; quibus ætas illa, sacras has epulas, promiscuè, sine diei vel noctis discrimine adhibuisse putatur. Utriusque exempla in S. literis prostant. Conviviorum diurnorum, *Act. 2: 42. 46.* nocturnorum, *Act. 20: 7.* Ut ipse Christus, (qui inter duas vespèras, Paschalis agni manducationi destinatas, ὀψίας γενομένης, *Matth. 26: 20.* accubuerat) *noctè*, *1. Cor. 11: 23.* & profundâ quidem, μετὰ τὸ δεῖπνῆσαι, à cœna, *Luc. 22: 20.* Quemadmodum epulæ illæ, quas Corinthii Sacramento hoc consignabant, δεῖπνον, cœna dicuntur, *1. Corinth. 11: 20. 21.* Hinc Casalius: *Quotidiè*, ait, *primùm ineunte Ecclesiâ Christiani communicabant*, de *Ritib. pag. 96.* Et Cardin. Bona, *R. Liturg. lib. 2. cap. 17. §. 2.* *In primordiis Ecclesiæ certum est* & exploratum, *omnes fideles, quorum erat cor unum & anima una, quotidiè perseverâsse in communicatione fractionis panis: nec ullus sacris mysteriis interesse permittebatur, nisi qui offerre poterat, & de oblatis participare, quam consuetudinem diu perseverâsse evidens est, &c.* Constat Pontificem confectis *Mysteriis sumsisse Eucharistiam & singulis presentibus tradidisse, &c.* Adde *Durandi Ration. IV. 53.* & *Pamel. infr. §. 10.*

IX. Justinus neque ab ætate, neque à Spiritu Apostolorum remotus, fortassis & eorum discipulus, *Apologiâ 11.* quam circa A.C. 140. scripsit, *Op. p. 97.* sic infit: Ἀλλήλων φιλήματι ἀσπαζόμεθα, παυσάμενοι τῶν εὐχῶν. *Precibus finitis, mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ & vini,*

*Praxis Sæculi II.*